



Praxis Avrea Qvotidianarvm Rervm Ecclesiastici Fori

In qua Variæ Iuridicæ Resolutiones ex approbatis traditionibus Doctorum,
atque diuersorum Tribunalium, præsertim Rotæ Romanæ, Decisionibus,
excerptæ, continentur; Opvs Qvatvor Partibvs Distinctvm

Continens Primam, & Secundam Partem: Quibus, hac nostra editione ab
innumeris mendis repurgata ...

Riccio, Giovanni Luigi

Venetiis, M.DC.LXXIV.

Praxis Cavsarvm Delegatarvm.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98587](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98587)

municavit panem, & statim effectus est niger, absoluit postea, & enasit albus; S. Bernardus, qui excommunicavit muscas, quæ impediebant divina officia in Ecclesia, & statim ceciderunt omnes mortuæ. Quidam Abbas excommunicavit quandam sylvam cum lacu, quam occupaverat quidam potestis, a quo recuperare eam non poterat, & sylva non amplius fructus protulit, nec lacus pisces. Quidam miles excommunicatus sedens in mensa porrigebat panem canibus, & illi non leabant accipere. E domo cuiusdam excommunicati statim Ciconiæ filios abstulerunt, & aliò transtulerunt: quamvis animalia, bruta, & arbores non possint excommunicari, sed maledici.

RESOLVT. CDXXXIII.

Clausula, si, & in quantum, in appellatione quid operetur.

1 Clausula in appellatione, si, & in quantum, quid operetur.

Bartolus in l. ambitiosa circa fin. ff. de decretis ab ordin. faciendis, quem refert, & sequitur Io. de Imol. in l. iudex postquam, in fin. ff. de re iud. tenent, quod per præfatam clausulam nullatenus intelligatur admissum, quod in effectu non debuit admitti, sequitur Soc. conf. 48. num. 61. vol. 4. Balb. conf. 17. n. 3. Rub. conf. 45. n. 7. & seq. Catald. in tract. syndicus nu. 82. & seq. ideo operatur, ut si iudex illam admittere non posset, decretum est nullum, ipso iure, quia intelligitur de presenti, unde si iudex, qui illam apposuit decretum facere non poterat, est nullum, & perpetuo de nullitate dici potest, etiam coram quocunque indice incidet, Doctor Marta in tract. de clausulis in claus. 132. num. 2. & versa vice hæc clausula importat admissionem in his, quæ sunt admittenda, Maranta de ordine iudic. per 6. vers. Appellatum num. 211. Rota. divers. decis. 687. num. 2. part. 2.

Vnde quando appellatio interponitur à sententia diffinitiva, iudex admittendo, si, & in quantum de iure, & c. dicitur ei detulisse, & illam admisisse, quia, tunc talis conditio non facit suspensionem, sed habet veritatem, nam licet dicat iudex si, & in quantum, tenetur tamen rationabilem admittere, secundum decis. Beninten. 1. & vide decis. Caputaq. 49. num. 2. part. 1.

Notabilia quedam in materia appellationis ex Conc. Trid.

Primo, ex fess. 23. cap. 1. de reform. vbi disponitur, quod nulla appellatio, vel inhibito superioris impedire possit Ordinarium, quo minus suam sententiam circa residentiam Curatam exequatur.

Secundo, ex fess. 13. c. 1. & fess. 24. c. 20. de reform. habetur, quod nec in causis visitationis, correctionis morum, & criminalibus appellari possit ab interlocutoria, vel alio quocunque gravamine, nisi per definitivam sententiam reparari, vel ab ipsa definitiva appellari non possit.

Tertio, ex eadem fess. 13. c. 2. dicitur, ut causæ in criminalibus ad Romanam Curiam per appellationem devolutæ committantur in partibus Archiepiscopo, seu eius Vicario, siue ex causa alteri viciniore Episcopo, seu eius Vicario, & non inferiori.

Quarto, ex fess. 25. cap. 13. Regularibus ordinatur, quod causæ præcedentiæ remota omni appellatione terminentur.

Quinto ex fess. 25. cap. 14. de reform. statuitur, quod contra concubinariorum ordinarius procedere possit, appellatione non obstante.

Finis tituli Praxis appellationum.

PRAXIS CAUSARVM DELEGATARVM.

RESOLVT. CDXXIV.

An delegatio causæ facta canonico, expediri possit, si tempore sententiæ fuit resignatus canonicatus.

1 In synodo debent constitui synodales.

2 In delegatione sufficit adesse dignitatem tempore commissionis.



CM juxta dispositionem Sac. Concil. Trid. fess. 25. cap. 10. de reform. fuerit sancitum, ut in singulis Concilijs provincialibus, aut Diocesanis creentur indices synodales habentes qualitatem, de qua in c. statutum de rescript. in 6. scilicet, ut sint in dignitate Ecclesiastica constituti, inter quos sunt Canonici Ecclesiæ Cathedralis, iuxta dec. Achill. de Grass. 1. de rescript. & Verall. dec. 93. p. 1. quare fuit dubitatum an causæ commissæ Canonico possint expediri, si tempore sententiæ fuit resignatus canonicatus, & dubitatio nem mihi faciebat primò regula illa, quod quando lex considerat actum cum qualitate non sufficit solus actus absque illa qualitate. I. Fulcinius ff. quib. ex caus. in posses. ear. Item, quia qualitas adiecta verbo debet referri ad tempus verbi. l. in delictis §, si damnum extraneus ff. de noxalib.

Cæterum supradictis minimè refragantibus, cōtrarium in facti contingentia respondi, motus ex auctoritate gl. in c. tu autem 22. dist. vbi sufficit fuisse in ea dignitate tempore commissionis, de qua in delegatione, cum in quolibet actu principium sit spectandum, & habilitas illius temporis sufficiat, unde licet postea per resignationem canonicatus desierit esse in illa dignitate, nihil est, quasi non debeat considerari actus legitimus perfectus, & consumatus, quāvis pervenerit ad casum, a quo non poterit inchoari, & cum expressum fuerit nomen propriū, & dignitatis, videtur delegatio personalis, non realis, Cyn. in l. more maiorum q. 9. col. 6. num. 22. de iurisd. omn. iudic. Alex. conf. 175. col. pen. lib. 5. maxime si ex alijs coniecturis non appareat contemplatam solum dignitatem. Bellamer. dec. 39. n. 2. & ista est verior, & magis communis opinio, prout in specie concludit Card. in clem. & si principalis q. 6. de rescript. Felin. in c. quoniam Abbas, col. 6. in fin. nu. 5. de offic. deleg. vbi Dec. col. 6. n. 3. de communi, & secundum hanc opinionem iudicavit Sac. Congr. Conc. 21. Maij 1587. prout testatur Paris. de resignatione beneficij lib. 1. q. 11. n. 14. in fi. Cenal. in communib. contra commun. q. 677. n. 10. in fine. Dubium propositum fuit hoc. An si is, qui tempore commissionis reperiatur constitutus in dignitate, & designatus inter iudices synodales, si eā dignitatem resignaverit, possit de eadē causa cognoscere, vel potius is, qui eam dignitatem obtinuit, vel neuter? Congregatio censuit resignantem posse cognoscere etiam post renunciationem.

RESOLVT. CDXXV.

An in causa delegata Vicario possit procedi per Episcopum.

1 Causa delegata Episcopo non transit in eius Vicarium.

2 Episcopus non potest cognoscere de causa commissā Vicario.

3 Episcopus potest ad libitum revocare Vicarium.

PAnorm. in cap. eam te num. 14. de rescript. tenuit causam delegatam Vicario Episcopi, posse per eum.

eundem Episcopum finire, licet Gemin. in c. Romana in princ. n. 3. ver. nota idem esse adiutorium de appellatione. in 6. dicat esse intelligendum de ea causa, quæ fuerat eidem Vicario delegata, tanquam Vicario sequitur Franch. in c. dilecti, il terzo, num. 4. col. 6. quæst. 5. de appell.

2 Cæterum supradicta opinione minimè refragante, contrarium consilium in facti contingentia, non posse scilicet per Episcopum cognosci causam demadatam Vicario tanquam Vicario: mouebat ob id præcipuè, quia in ea est maior Ordinatio, & est separatim auditorium Episcopi ab eius officiali, seu Vicario, prout concludit Imol. in clem. 1. n. 14. in fine col. 2. ad medium, ver. ex his habes de rescript. post Card. ibidem num. 10. q. 9. Dec. in c. quoniam Abbas, col. 7. in fi. ver. & notandum est n. 9. de off. deleg. Rota per Seraph. in vna Maceraten. dotis 10. Martij 1581. & est decis. 506. p. 1. & ita etiam concludit Franc. in cap. statutum in princ. col. penult. ver. quarto aduerte de rescript. in 6. qui non tenuit contrarium in d. c. dilecti il terzo, prout ab alijs allegatur, cum ibi nihil determinet, sed solum se remittat ad Doctores in d. c. statutum, & in d. cap. quoniam Abbas.

3 Non obstat, quod Episcopus potest ad libitum reuocare Vicarium, cui annexitur delegatio facta non sub nomine proprio. Doctor in clem. 2. de rescript. Bald. in l. solent. n. 6. de offic. procons. Panorm. in d. c. quoniam Abbas n. 2. de off. deleg. vnde remouendo ab officio, priuat illum iurisdictione; ideo multò magis poterit ei concedi cognitio. Quia respondetur, non propterea concedendum esse, quod possit de causa illi delegata cognoscere, prout dicimus de inquisitoribus, qui remouentur per suos superiores, non tamen se ingerunt in causa illis commissa. c. volentes de hæret. clem. nolentes. §. notarij cod. tit. & in specie ita respondet Card. n. in clem. 1. q. 9. de rescript. vbi etiam Imol. n. 14. in fin. subdit, procedere, nisi remotio fieret in fraudem iurisdictionis delegatæ, quia alias posset in eum animaduerti, tanquam illum turbantem in sua iurisdictione, c. 1. de off. deleg. Ideo Vicario remoto, causa erit de nouo deleganda. Franch. qui dicit, menti tenendum in d. c. statutum 11. col. pen. ver. quinto aduerte n. 11. in fin. de rescript. in 6.

Amplia principalem conclusionem procedere etiam si causa commissa esset Episcopo, vel Vicario, nam cum litera fuerint vni eorum præsentatæ, alter non potest se intromittere, c. cum plures de off. deleg. in 6. latè Surd. conf. 57. n. 1. lib. 1. Ita vt neque delegatus Papæ subdelegando possit auocare, quando subdelegatus incipit procedere, nisi addit clausula cum potestare auocandi in qualibet parte litis, c. quamdiu, & c. si delegatus de off. deleg. in 6.

RESOLVT. CDXXVI.

De subreptione rescripti delegatorij, infra quantum tempus opponi possit.

- 1 Omnes actiones, præscribuntur spatio quadraginta annorum.
- 2 Subreptio vitiat gratiam ipso iure.
- 3 De subreptione etiam post sententiam opponi potest.

IN quadam causa mihi delegata iudicauimus ius opponendi de subreptione censi præscriptum spatio quadraginta annorum, motus ex vulgaribus iuris regulis, quod omnes actiones supradicto tempore finiuntur, ad text. in l. sicut, & l. omnes C. de præscrip. triginta, vel quadraginta annorum.

Non obstat Imola in cap. ad audientiam de rescript. volens, quod quando subreptio operatur nullitatem, gratia possit de ea quancumque opponi, quia respo-

detur, secundum Macerat. lib. 2. var. resol. c. 99. quod intelligitur ante quadraginta annos, quia illa dictio quancumque, accipitur, vt præscriptionem longi temporis non excludat, secundum quod latè tradunt communiter DD. in §. 1. instit. de perpet. & temp. act. Ang. conf. 55. Alban. conf. 22. n. 2.

2 Non obstat secundo, quod subreptio vitiat gratiam ipso iure. Bald. conf. 320. vol. 2. Alex. conf. 16. vol. 1. Alciat. conf. 63. n. 3. & seq. & est communis opinio, secundum Fel. in cap. ad audientiam, il secondo n. 22. ver. literæ beneficiales de rescript. & refert decisum Caput. in decis. 225. p. 3. quia respondetur, non propterea posse inferri quin amissum non sit ius opponendi de subreptione.

3 Non obstat, quod etiam post sententiam in literis beneficialibus, & gratia possit opponi de subreptione, quia hoc verum est dummodo ante quadraginta annos opponatur. Anchar. citato cap. ad audientiam in fin. Balb. dec. 500. Rub. decis. 13. n. 6. & ratio est, secundum Cassiad. dec. 3. in fin. de caus. poss. & propriet. quia ex diuturnitate tanti temporis præsumitur etiam noua gratia, & confirmatio.

RESOLVT. CDXXVII.

An Theologus, cui delegatur causa, possit iudicare absque assessore.

- 1 Delegatus tenetur iudicare cum assessore.
- 2 Prioribus Regularium possunt causa delegari.
- 3 In iudice non exigitur literarum scientia.

CONSULUI in casu mihi proposito à quodam Episcopo, cui delegata erat quædam causa à Sede Apostolica, vt ipse teneretur omnino, ad effectum, vt eius sententia sit valida, eligere assessorem, & mouebat ex Bulla Leonis X. in Conc. Lateranen. quæ incipit, Regimini, cuius sunt verba formalia, videlicet, *Iudices, & conservatores à Sede Apostolica deputati si in altero iurium graduati non fuerint, assessorem, partibus non suspectum, ab his partibus, vel earum aliter requisita assumere, & secundum eius relationem iudicare teneantur, non obstantibus, &c.*

Non obstat text. in c. statutum, §. assessore de rescript. in 6. vbi index delegatus tenetur assumere assessorem, si indiget, quod eius conscientia relinquit, quia respondetur, quod ex hoc non sequitur, quod Theologus delegatus possit causam decidere sine assessore.

Non obstat etiam text. in clem. & si principalis de rescriptis, vbi Prioribus Regulariis, seu quibuscumque Prepositis, vel Guardianis possint à Sede Apostolica causa delegari, & sic Theologis, quia pariter respondetur vt supra, quod non sequitur, quod per semetipsos, absque assessore, iudicare possint.

3 Nec tandem obstat, quod in iudice non requiritur literarum scientia, ad text. in l. certi iuris C. de iud. latè Fel. in c. sciscitatus de rescript. quia hæc loci habent, vbi reperitur index graduatus in iure ciuili, vel canonico, aliàs secus.

RESOLVT. CDXXVIII.

An delegatus possit cognoscere de nullitate suæ sententiæ.

- 1 Pronunciatio nulla, extinguit iurisdictionem.
- 2 Delegati iurisdiclio extinguitur, lata sententia.
- 3 Delegatus an possit cognoscere de nullitate sententiæ, distinguatur.

VBIVM faciebant pro negatiua opinione tex. in l. si vt proponis, la prima, C. quomodo, & quando

do iud. vbi pronuntiatio iudicis delegati nulla, extinguit eius iurisdictionem, igitur non poterit amplius cognoscere, ex defectu carentie iurisdictionis.

2 Secundo, text. in c. in literis de offic. deleg. vbi delegatus statim, quod pronuntiavit finitur eius potestas, seu iurisdictionis.

Tertio, text. in l. iudex postquam ff. de re iud. vbi iudex postquam sententiauit, amplius se intromittere non potest.

Ceterum supradictis minimè refragantibus, contrarium est verius, & in praxi tenendum, verum pro huius quaestione dilucidatione distinguenda sunt duae conclusiones.

3 Prima sit conclusio, delegatum ad vniuersitatem causarum posse cognoscere de nullitate suae sententiae, ita Angel. in citata l. iudex post quā ff. de re iudic. post Alex. in conf. 23. n. 6. & seq. vol. 1. Alciat. in d. l. iudex in q. 1. Aufser. ad Cappell. Tholos. dec. 38. cuius conclusionis ratio est, quia talis delegatus equiparatur Ordinario iuxta communem, de qua in l. more maiorem, ff. de iurisd. omni. iud. praesertim quantum ad hoc, vt possit iterum cognoscere, & pronuntiare, si tulerit sententiam nullam, & de nullitate suae sententiae cognoscere, prout communiter tradunt DD. de iudice Ordinario, vt latè in l. cum Prator ff. de iudic. gl. in c. cum causam de appell. in c. ne aliquid de haret. in 6. & in c. qualiter, & quando, vers. observari tit. de accusat.

Secunda sit conclusio, delegatum ad vnam causam, non posse iterum cognoscere, si tulerit sententiam nullam, ita Artham. conf. 126. & seq. Iasfred. con. 60. nu. 4. & Affer. cit. loco, circa medi. cuius conclusionis ratio reddi potest, quia cum sit functus officio suo, proinde iterum se ingerere nequit, & ita intelligendi text. supra citati in contrarium, & hanc conclusionem intellige, nisi iudex delegatus ad vnam causam protulerit sententiam nullam ex defectu formae mandati, tunc enim iudex pronuntiasse non videtur, si non servauit formam mandati, pro quo facit text. in l. qui tamen ff. de arbitr. vbi arbiter iterum sententiar si non servauit formam compromissi. Inn. in c. 1. de off. deleg. Siculus in praallegatis, c. in literis, & c. qualiter, & quando, & vide latius de contentis in hoc articulo Menoch. de arbitr. iudic. lib. 1. q. 67. à n. 21. ad finem.

RESOLVT. CDXXXIX.

An cui committitur absolutio à casibus reservatis, possit illorum absolutionem alteri delegare.

- 1 Delegatus non potest absolutionem casuum subdelegare.
- 2 Pœnitentiaro committitur nudum ministerium.
- 3 Ordinarius delegando, censetur elegisse industriam personam.

EVenit quandoquidem, vt Pœnitentiarj Ecclesiarum Cathedralium, ob impedimentum aliquod, alteri Confessario, non tamen obtinenti facultatem, circa reservata, illorum absolutionem committere, seu delegare vellent, quare fuit dubitatum, an id iure facere possent, & pro opinione affirmatiua dicebatur, quod text. in c. fin. de offic. Ord. vult, quod cui cōpetit absolueri ab excommunicatione, potest alijs absolutionem demandare, igitur & in casu, de quo verba facimus. Item pro eadem opinione allegabatur text. in c. super quaestionum vers. nos autem de officio deleg. vbi delegatus ab Ordinario quēcunque actum requirēte, causam cognitionem delegare potest, sequitur Sicul. in cap. cum Bertoldus de sent. & re iudic. in 6. Inn. Spec. & Host. in tit. de legib. §. 1. vers. sed nunquid delegatus, gl. fin. in clem. vnica de off. deleg. & ibi Cardin. num. 6. Tandem dicebatur, quod Capp. Thol. in dec. 13. tenuit posse delegatum ab Ordinario in casu, de quo ibi, alteri personae committere, etiam non nominatam in cap.

statutum de rescript. in 6. Ex quibus omnibus videbatur posse resolui pro opinione, vt praefatus Pœnitentiarus habeat facultatem committendi absolutionem praedictorum casuum.

1 Ceterum supradictis minimè refragantibus, contrarium respondi, motus ex pluribus.

2 Tum primo, quia cum praefato Pœnitentiaro non iurisdictionis, verum nudum ministerium sit commissum, igitur illud alteri demandare prohibetur cap. fin. de off. deleg. & ibi Panor. num. 2. qui dixit, quod cui commissum est aliquos absolueri, dispensare cum irregularibus, vel iniungere pœnitentias, non potest alijs hoc officium committere, sequitur Fel. in c. fin. nu. 6. & seq. de rescript. post Bar. in l. periuriū in 8. oppos. ff. de iurisd. omni. iud. Ias. in l. a iudice col. fin. vers. limita duodecimo. C. de iudicis. Roman. conf. 271. & 303. Corset. sing. 320. & idem Rom. conf. 481.

3 Tum secundo, quia Ordinarius committendo absolutionem casuum reservatorum, censetur elegisse industriam personam, arg. text. in cap. fin. §. 1. de off. deleg. igitur illud per alium exerceri non potest, inter artifices ff. de solut. Spec. in tit. de salariis §. fin. vers. pen. & habetur in c. si de off. del. in 6. vbi cōcluditur, quod electa industria persona est prohibita subrogatio, vel delegatio, de quo etiam per Bal. in l. vnica §. ne autem C. de caduc. toll. & ideo dicitur, quod mutata persona, mutatur conditio rei l. Paulus ff. de acq. hered.

Non obstant contraria, & primò text. in c. fin. de off. Ord. quia loquitur in ordinario iudice, cui non prohibetur delegare arg. text. in l. a iudice C. de iudicis.

Nec denique obstat reliqua in oppositum allegata, quia locum habent, & procedunt in vno articulo tantum, nam bene potest delegatus ab Ordinario committere vnum articulum causae absque iurisdictione, Capp. Tholos. in decif. 13. & in iudice ordinario loquitur Inn. & Butr. in c. cum Bertoldus de sent. & re iudic. Fel. in c. super quaestionum de off. deleg. Franch. in c. cum causam de appellat. post Bar. in l. more maiorem ff. de iurisd. omni. iud. Et ita pariter resolendum, dixi in Pœnitentiaro, qui licet prohibeatur subdelegare, tamen credo ex supra dictis posse in aliquo particulari casu absolutionem committere.

RESOLVT. CDXXX.

An delegatus Apostolicus possit subdelegare personis non constitutis in dignitate.

- 1 Causa à Sede Apostolica committuntur personis in dignitate constitutis.
- 2 Quae conclusio procedit pariter in subdelegato.

CUm iuxta dispositionem text. in cap. statutum de rescript. in 6. causa à Sede Apostolice delegari non possint, nisi personis constitutis in dignitate, quare fuit dubitatum, an eadem conclusio procedat in subdelegatione, ita vt necesse sit personas, quibus causa praedicta subdelegatur, esse in dignitate constitutas, & dubiū faciebat pro negatiua sententia, quod text. in d. c. statutum hoc non aperit, proinde nos extendere negligimus, ad text. in l. si quis seruū C. de seruis fugitiuis.

Supradictis tamen minimè refragantibus, contrarium dixi in casu mihi proposito, motus praesertim, quia eadem ratio viget in vtraque materia, tam scilicet delegationis, quam subdelegationis, propterea idem debet esse iuris dispositio ad text. in l. illud ff. ad leg. Aquil. & l. quod dictum ff. de pact.

Supradictis accedebat, quod cum subdelegatio dicatur etiam delegatio, cum ab ea secundum Artam. in conf. 22. non distinguatur, nisi quod illa est prima, hac verò secunda delegatio nuncupetur, merito iura loquentia de delegatione, extenduntur ad subdelegationem,

tionem, & consequenter quemadmodum delegari
2 causa non possunt, nisi personis in ecclesiastica digni-
tate constitutis, ita pariter subdelegari.

Facit etiam, quia in dignitate ecclesiastica esse de-
bent omnes, qui actum iudiciale faciunt. Bellamer.
in dec. 81. & 126. Raudens. conf. 23. n. 6. vol. 1. Alban.
confil. 22. n. 6. & seq.

Non obstat dec. Rot. 462. ubi executores littera-
rum Apostolicarum possunt subdelegare nudum mini-
sterium personis non constitutis in dignitate, vel non
habentibus qualitatem, d. c. statutum, quia responde-
tur, quod intelligitur in simplici executore, non au-
tem in mixto, puta in eo, qui deputatur cum clausula
vocatis vocandis, ita Aufrer. ad Capp. in dec. 13. prax.
Archiep. cap. 83. num. 3.

RESOLVT. CDXXXI.

An delegatus Apostolicus delinquens, possit conueniri
coram Ordinario.

1 Delegatus est maior Ordinario.

2 Delegatus delinquens an possit puniri ab Ordinario di-
stinguatur.

1 **D** Vbi faciebat tex. in c. sane de offic. Ord. ubi
delegatus Apostolicus est maior Ordinario, cap.
sane de off. deleg. igitur.

Ceterum resoluendum est cum distinctione, de qua
per Io. Andr. & Siculum in cap. fin. de rescript. & est,
quod aut delegatus delinquit, non parendo, & tunc,
quia solum excessit contra Papam in non parendo man-
datis ipsius, non potest per alium inferiorem puniri. Aut
delinquit per se agendo, & tunc potest puniri per Ordina-
rio, quia non conuenitur ut delegatus, sed ut
criminofus. Sed dicit Ioan. Andr. se non credere, quod
pendente causa coram eo possit conueniri coram Ordina-
rio, salte vt impediretur procedere in causa sibi dele-
gata, na respectu illius causae duntaxat est maior Or-
dinario, vt in c. studiisti de off. delegati, Zabarella in
clem. 1. de offic. ord. ubi tenet, quod Praes provinciae
permittere non debet, delegatos a Principe aliter uti
sua potestate, quia in suis literis contineatur, & si for-
mam illorum excedant, potest in eos animaduertere
alleg. c. nobilissimus 97. dist. de off. deleg. c. cum in iure,
& c. cum contingat de rescr. & quod Ordinarius possit
resistere delegato quando vellet procedere in casu no
incluso in sua commissione, tenet Inn. in c. si quando
de off. deleg. & ibi late per Siculum, ad quod gl. singu-
laris in c. ex literis cod. tit. qua dicit, iudici volenti
mandare executioni sententiam nullam, impune posse
resisti ad quod l. prohibitum C. de iure fisci l. 10. Ang.
conf. 182. & 275. ad quod etiam nota Bar. in d. l. prohibi-
bitum, & idem Ang. conf. 219. dicit, quod aut Prelatus,
aut subditi non debent obedire falsis, aut iniquis liti-
ris de Cancellaria Pontificali emanantibus, vel Cate-
rea, l. 3. Cod. si contra ius, vel util. publ. & l. nec damno-
sa, C. de prec. Imp. offer. Immo & de facto potest resisti
volentibus sub vmbra praedictarum litterarum aliquam
oppressionem committere non data prius copia recla-
mandi, l. defensionis facultas, C. de iure fisci l. 10. pro-
pterea dicit Bar. in preallegat. l. prohibitum, quod Com-
missarij debent suas commissiones priusquam illas exe-
quantur, Curiae Praesidis insinuare, quod bene seruatur
in practica, & de hoc extant ordinationes Regiae, &
statuta synodalia quoad Curias ecclesiasticas, & nun-
quid punitio delinquentium exemptorum in Episcopi
territorio, ad Episcopum pertineat, vide Zabarel. in
clem. 1. n. 16. de offic. ordin. & adde, quod licet Archie-
piscopus delinquat in Diocesi sui suffraganei, non ta-
men poterit puniri ab ipso suffraganeo, nec similiter
ligatur idem Archiepiscopus statuto sui suffraganei, gl.

Aloy. Ricc. Prax. Pars 1.

& ibi plene Siculus in c. 1. de raptorib. idem Sic. & Fe-
lyn. in c. cum inferior de maiorit. & obed. secus autem
si non esset superior, licet sit maior, na poterit puniri a
minore, si delinquit in territorio, Anchar. in clem. 1.
de foro comp. Bald. in c. 1. §. ad haec de pace iura firm.
& l. si quis seruo ad fin. C. de furt. Archid. & DD. in c.
1. 3. q. 6. vide per Felyn. in allegato cap. cum inferior.

Non obstat tex. in c. sane de off. deleg. quia proce-
dit, & locum habet in causa delegata tantum, & non
in alijs, vt tradunt DD. in rubr. ff. de off. eius, & Cano-
nisi. in rubr. de off. deleg.

RESOLVT. CDXXXII.

An Delegatus Apostolicus possit procedere extra ciui-
tatem, in qua deputatus fuit.

1 Delegatus non potest procedere extra locum deputationis.
2 Redditur ratio conclusionis.

T Extus apertus in c. statutum §. in nullo quoque
de rescriptis in 6. probat non posse delegatum
1 Apostolicum procedere extra ciuitatem, vel diocesim
in qua deputatus fuit. Delegatio enim est stricti iuris,
secundum Bald. in c. vnico, n. 6. & seq. de mutuis peti-
tionib. Alciat. conf. 21. n. 7. & 10. Rota diuersi in dec. 8.
p. 2. neque in rescripto delegatorio locum habet exte-
rio de loco ad locum, vt probatur in cap. Petro, de off.
deleg. & propterea delegatus in vno loco, non posse in
alio cognoscere, iuxta opinionem, secundum quam re-
fert decism Hartaman. lib. 1. iuris obseruat. c. 13. ver-
ba enim rescripti sunt ad vnguem seruanda, c. ad au-
dientiam, ubi Bal. in 3. not. de rescriptis, cum rescriptum
delegatorium equiparetur mandato, cuius forma, ac
fines diligenter sunt custodiendi, l. diligenter ff. man-
dati, late Iaf. in l. quod quis, in princ. C. de procurato-
ribus, & quicquid sit contra mandatum, est ipso iure
nullum, l. cum contra C. mandati, facit quoque quia,
cum Delegatus non obtineat iurisdictionem, prater-
quam in loco suae deputationis, consequenter extra illum
procedere nequit ad tex. in l. extra territorium, ff. de
iurisdic. omni. iudic. c. vt animarum de constitution. lib. 6.

2 Et haec conclusio ampliatur, vt neq; tacitus consen-
sus ambarum partium sufficeret, secundum Monald.
conf. 92. n. 3. vol. 1. post Alban. in conf. 60. nu. 6. & seq.
quare si citentur, & partes non contradicunt, adhuc iu-
diciu erit nullum, iuxta id, quod voluit gl. in d. §. in
nullo, quam communiter approbari scribit Alex. conf.
10. vol. 1. Merend. confil. 22. n. 3. Bomin. confil. 21. n. 29.
& seq. vnde secundum Panormit. in cap. nonnulli de
rescript. quem refert Nouil. in sua praxi cap. 69. n. 15.
circa mediam, Delegatus censetur deputatus in cer-
to loco, ubi dignitas ipsius iudicis est expressa in re-
scripto, vt si dicitur Episcopo Nolano, videtur com-
mitti Nola, nisi diceretur in rescripto Aversa, vel ali-
bi moranti, quia tunc videtur committi in loco mo-
rae. Fuit tamen a Sacra Congreg. rescriptum Archie-
piscopo Neapolitano, quid agendum sit.

Finis tituli Praxis causarum delegatarum.

PRAXIS CRIMINIS HAERESIS.

RESOLVT. CDXXXIII.

Quot sunt casus directe, & reductiue ad Tribunal san-
ctissima Inquisitionis spectantes.

1 Numerantur casus ad sanctissimam Inquisitionis Tribunal
pertinentes.

R

Re-